

F. Filia Jerusale, venite & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus. **V.** In die solemnitatis & lætitiæ, alleluia. **R.** Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Augustini Episcopi in Evangelium. Ego sum vitis vera, ut in Comuni Martyrum tempore Paschali. **xliv.**

In secundis Vesperis à Capitulo fit de S. Catharina, cum Commemoratione S. Petri.

DIE XXX. APRILIS.

In Festo Sanctæ Catharinæ Virginis. Duplex.

Omnia de Comuni Virginum, **lxxxiv.** exceptis his, quæ sequuntur.

Oratio.

D. A, quæsumus omnipotens Deus; ut qui beatæ Catharinæ Virginis tuæ natalitia cõlumus, & annuâ solemnitate lætèmur, & tanta virtutis proficiamus exèmplo. Per Dõminum.

Pro Commemoratione S. Petri. Antiphona. Sancti & justi in Dõmino gaudete, alleluia: vos elegit Deus in hereditatem sibi, alleluia. **V.** Pretiosa in conspectu Dõmini, alleluia. **R.** Mors Sanctõrum ejus, alleluia.

Oratio. Præsta, quæsumus, ut supra. **743.**

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

C. Atharina, virgo Senensis, piis orta parèntibus, beati Dõmini habitum, quem Sorores de Pœnitentiã gestant, impetravit. Summa ejus fuit abstinentiã, & admirabilis vitæ austeritas.

Inventã est aliquãdo à die Cinerum usque ad Ascensionem Dõmini jejunium perdixisse, solâ Eucharistiæ communiõne contenta. Luctabatur quàm frequentissimè cum dæmonibus, multisque illõrum molèstis vexabatur: astuabatur febribus, nec aliorum morborum cruciatu carèbat. Magnum & sanctum erat Catharinæ nomen, & undique ad eam agrõti, & malignis vexati spiritibus deducebantur. Languoribus & febribus in Christi nõmine imperabat, & dæmones cogebat ab obsessis abire corpõribus.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: Et deducet te mirabiliter dextera tua, alleluia. **V.** Spécie tuã & pulchritudine tuã intènde, prospere procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

C. Um Pisis immoraretur, die Dõminico refecta cibo cœlesti, & in extasi rapta, vidit Dõminum crucifixum magno cum lumine advenientem, & ex ejus vulnere cicatricibus quinque rãdios ad quinque loca sui corpõris descendentes; ideoque mysterium advertebat, Dõminum præcata, ne cicatrices apparerent, continuo rãdii colorem sanguineum mutaverunt in splendendum, & in formam puræ lucis pervenerunt ad manus, pedes, & cor ejus: ac tantus erat dolor, quem sensibilibus patiebatur, ut nisi Deus minuisset, brevi se crederet mortuam. Hanc itaque gratiam amatissimus Dõminus novã gratiã cummulavit, ut sentiret dolorem illapsã vi vulnerum, & cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse, cum Dei famula Confessario suo Raymundo retulisset, ut oculis etiam representaretur, rãdios in imaginibus beatæ Catharinæ, ad

dicta quinque loca pertingentes, pia fideliũ cura pictis coloribus expressit.

R. Dilixisti justitiam, & odisti iniquitatem: Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, alleluia. **V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea unxit.

Lectio vi.

D. Octrina ejus infusa, non acquisita fuit: sacrarum litterarum professoribus difficillimas de divinitate quæstiones proponentibus respondit. Nemo ad eam accessit, qui non melior abierit: multa extinxit odia, & mortales sedavit inimicitias. Pro pace Florentinorum, qui cum Ecclesiã dissidebant, & interdicto Ecclesiastico suppositi erant, Avenionem ad Gregorium Undecimum Pontificem Maximum profecta est, cui etiam votum ejus de petenda Urbe, soli Deo notum, sese divinitus cognovisse monstravit: deliberavitque Pontifex, eam etiam suadente, ad sedem suam Romanam personaliter accedere; quod & fecit. Eidem Gregorio, & Urbano Sexto ejus successorì, acceptissima fuit, aded ut legationibus eorum fingeretur. Denique post innumera virtutum insignia, dono prophetiæ, & pluribus clara miraculis, anno ætatis sue tertio circiter & trigésimo, migravit ad Sponsium. Quam Pius Secundus Pontifex Maximus Sanctarum Virginum numero adscripsit.

R. Afferentur Regi virgines post eam, proxima ejus. Afferentur tibi in lætita & exultatione, alleluia. **V.** Spécie tuã & pulchritudine tuã intènde, prospere procede, & regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium

Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, ut in Comm. Virg. **xciiij.**

FESTA MAII.
DIE I. MAII.

In Festo SS. Philippi & Jacobi Apostolorum. Duplex.

Ad Vesperas. Antiphonæ. Dõmine ostende nobis, cum reliquis de Laudibus. **748.** Psalmus. Dixit Dõminus, cum reliquis de Comuni Apostolorum. **1.**

Capitulum.

S. Tabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.

Hymnus.

T. Ristes erant Apostoli De Christi acerbò funere, Quem morte crudelissimã Servi necarant impij. Sermone verax Angelus Mulleribus prædixerat: Mox ore Christus gaudium Gregi feret fideliũ. Ad anxios Apostolos Currunt statim dum nuntiat, Ille micantis óbvia Christi tenent vestigia. Galliæ ad alta montium Se conferunt Apostoli; Jesuque, voti compotes, Almo beantur lumine. Ut sis perenne mentibus, Paschale Jesu gaudium; A morte dirã criminum Vita renatos libera. Deo Patri sit gloria, Et Filio, qui à mortuis Surrexit, ac Paraclyto, In sempiterna sæcula. Amen.

V. Sancti & justi in Dõmino gaudete, alleluia. **R.** Vos elegit Deus in hereditatem sibi, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.
Non turbetur cor vestrum, neque formidet: creditis in Deum, & in me credite: in domo Patris mei mansiones multae sunt, alleluia, alleluia.

Oratio.

Deus, qui nos annua Apostolorum tuorum Philippii & Jacobi solemnitate laetificas: praesta quaesumus; ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum.

Et fit Commemoratio Sanctae Catharinae.

Ad Matutinum, omnia de Communi Apostolorum tempore Paschali, ut infra. xvij. exceptis his, quae hic sunt propria.

In primo Nocturno. si tunc temporis non legitur de Epistola beati Jacobi, ponitur initium eius Epistolae, ut in Dominica iv. post Pascha. 503.

Si autem ea tunc legitur, ponatur de ea quod illo die contigerit.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Philippus Bethsaida natus, unus ex duodecim Apostolis, qui primum a Christo Domino vocatus est: a quo cum accepisset Nathanael venisse Messiam in lege promissum, ad Dominum deductus est. Quam vero Christus eum familiariter adhiberet, illud facile declarat, quod Gentiles Salvatorem videre cupientes, ad Philippum accesserunt: & Dominus, cum in solitudine hominum multitudinem pasceret vellet, sic Philippum affatus est: Unde ememus panes ut manducent hi? Is accepit Spiritu sancto, cum ei Scythia ad praedicandum Evangelium obtigisset, omnem ferè illam gentem ad Christianam fidem convertit. Postrèmo cum Hierapolim Phrygiae venisset, pro Christi nomine cruci affixus, lapidibusque

obrutus est, Kalèndis Maii. Ejus corpus ibidem a Christianis sepulchrum, postea Romam delatum, in Basilica duodecim Apostolorum una cum corpore beati Jacobi Apostoli conditum est.

R. Lux perpétua lucèbit Sanctis vestris Domine. *Et aeternitas temporum, alleluia, alleluia. **V.** Laetitia sempiterna erit super capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio v.

Jacobus frater Domini, cognomento Justus, ab ineunte aetate vinum & siceram non bibit, carne abstiniuit, numquam tonsus est, nec unguentum nec balneo usus. Huic uni licèbat ingredi in Sancta sanctorum, Idem lineis vestibus utebatur; cui etiam assiduitas orandi ita callum genibus obdlexerat, ut duritie camelii pellem imitaretur. Eum post Christi Ascensionem Apostoli Jerosolymorum Episcopum creaverunt: ad quem etiam princeps Apostolorum misit, qui nuntiaret se è carcere ab Angelo eductum fuisse. Cum autem in Concilio Jerosolymis controversia esset orta de lege & circumcissione, Jacobus Petri sententiam secutus, ad fratres habuit concionem, in qua vocationem Gentium probavit: fratribusque absentium scribendum esse dixit, ne Gentibus jugum Moisaicae legis imponerent. De quo & loquitur Apostolus ad Galatas: Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.

R. Virtute magna reddèbant Apostoli, • Testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluia, alleluia. **V.** Repleti quidem Spiritu sancto loquebantur eum fiducia verbum Dei. Testimonium.

Lec-

Lectio vi.

Tanta autem erat Jacobi vita sanctitas, ut fimbriam vestimentum ejus certatim homines cuperent attingere. Nam is nonaginta sex annos natus, cum triginta annis illi Ecclesiae sanctissime praefuisset, Christum Dei Filium constantissimè praedicans, lapidibus primum appetitur, mox in altissimum templi locum adductus, inde praecipitatus est. Qui contractis cruribus, jacens semivivus, manus tendebat ad caelum, Deumque pro illorum salute deprecabatur his verbis: Ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt. Qua in oratione, graviter ejus capite fullonis fuste percusso, animam Deo reddidit, septimo Neronis anno, & juxta templum, ubi praecipitatus fuerat, sepultus est. Unam scripsit Epistolam, quae de septem Catholicis est.

R. Isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt, alleluia: modo venerunt ad fontes, * Repleti sunt claritate, alleluia, alleluia. **V.** In conspectu Agni amici sunt stolis albis, & palmae in manibus eorum. Repleti. Glória Patri. Repleti.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij.

Cap. 14.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multae sunt. Et reliqua. Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tractatu 67. in Joannem.

Rigenda est nobis, fratres, ad Deum major intentio, ut verba sancti Evangelii, quae modo in nostris auribus sonaverunt, etiam mente capere utcumque possimus. Ait enim Dominus Jesus: Non tur-

betur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. Ne mortem tamquam homines timèrent, & idèo turbarentur, consolatur eos, etiam se Deum esse contestans. Creditis, inquit, in Deum, & in me credite. Consequens est enim, ut si in Deum creditis, & in me credere debeatis: quod non esset consequens, si Christus non esset Deus.

R. Ego sum vitis vera, & vos palmites? • Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. **V.** Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Qui manet.

Lectio viij.

Creditis in Deum, & in eum credite, cui natura est, non rapina, esse aequalem Deo: semetipsum enim exinanivit, non tamen formam Dei amittens, sed formam servi accipiens. Mortem metuitis huius formae servi; non turbetur cor vestrum: suscitabit illam forma Dei. Sed quid est quod sequitur, In domo Patris mei mansiones multae sunt; nisi quia & sibi metuèbant? Undè audire debuerunt: Non turbetur cor vestrum. Quis enim eorum non metueret, cum Petro dicitum esset, fidentiori atque promptiori: Non cantabit gallus, donec ter me neges?

R. Candidi facti sunt Nazaraei ejus, alleluia: splendorem Deo dederunt alleluia, • Et sicut lac coagulati sunt, alleluia, alleluia. **V.** Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Et sicut. Glória Patri. Et sicut.

Lectio ix.

Tamquam ergo essent ab illo perituri, merito turbabantur: sed cum audiunt, in domo Patris mei mansiones multae sunt: si quò minus dixissem-vobis: Quia vado pa-

parare vobis locum : à perturbatione recreantur, certi ac fidentes, etiam post pericula tentationum, se apud Deum cum Christo esse mansuros : quia etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctorum : in domo Patris mei mansiones multae sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansioem pro suo quisque accepturus est merito.

Te Deum laudamus. 13.

AD LAUDEŒ,

& per Horas, Antiphona.

Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, alleluia, Psalmus. Dominus regnavit, cum reliquis. 14. Antiphona. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, alleluia. Antiphona. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe qui videt me, videt & Patrem meum. alleluia. Antiphona. Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis, & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum, alleluia, alleluia, alleluia. Antiphona. Si diligitis me, mandata mea servate, alleluia, alleluia, alleluia.

Sap. 5.

Stabant justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiarerunt, & qui abstulerunt labores eorum.

Hymnus.

Paschale mundo gaudium
Sol nuntiat formosior,
Cum luce fulgentem novam
Jesum vident Apostoli.
In carne Christi vulnera
Micare tanquam sidera
Mirantur, & quidquid vident
Testes fideles praedicant.
Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside;
Ut lingua grates dēbitas
Tuo repēdat nōmini.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium;
A morte dirā criminum
Vita renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula.

Amen.

V. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. **R.** Mors Sanctorum ejus, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ego sum via, veritas, & vita : ne-
mo venit ad Patrem, nisi per me,
alleluia.

Oratio.

Deus, qui nos annua Apostolorum tuorum Philippi & Jacobi solemnitate laetificas : praesta quaesumus; ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona. Philippe. Capitulum. Stabant justi, ut supra.

R. breve. Sancti & justi in Domino gaudete, • Alleluia, alleluia. Sancti. **V.** Vos elegit Deus in hereditatem sibi. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Sancti. **V.** Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, alleluia. **R.** Et aeternitas temporum, alleluia.

Ad Sextam, Antiphona.
Tanto tempore.

Capitulum.

Ecce quomodo computati sunt
inter filios Dei, & inter Sanctos
sors illorum.

R. breve. Lux perpetua lucebit, Sanctis tuis Domine, • Alleluia, alleluia. Lux. **V.** Et aeternitas temporum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Lux perpetua. **V.** Laetitia sempiterna super capita eorum, alleluia. **R.** Gaudium & exultationem obtinebunt, alleluia.

Ad

Ad Nonam, Antiphona.

Si diligitis me.

Capitulum.

Rom. 8. c

Sciamus quoniam diligentibus
Deum omnia cooperantur in
bonum, iis, qui secundum propo-
situm vocati sunt sancti.

R. breve. Laetitia sempiterna super capita eorum, • Alleluia, alleluia. Laetitia. **V.** Gaudium & exultationem obtinebunt. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Laetitia.

V. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. **R.** Mors Sanctorum ejus, alleluia.

Ad Vesperas, Antiphona. Domine, ostende nobis, cum reliquis de Laudibus. 748. Psalmus. Dixit Dominus, cum reliquis ut in Communi Apostolorum. xi. Capitulum. Stabant justi. Hymnus. Tristes erant Apostoli. 745. **V.** Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. **R.** Mors Sanctorum ejus, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis, fiet vobis, alleluia, alleluia, alleluia. Oratio. Deus, qui nos annua.

Deinde fit Commemoratio Sancti Athanasii.

DIE II. MAII.

In Festo Sancti Athanasii Episcopi & Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lix. praeter sequentia.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Athanasii, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei, alleluia. **V.** Amavit eum Dominus, & ornavit eum, alleluia. **R.** Stulam gloriae induit eum, alleluia.

Oratio.

Exaudi, quaesumus Domine, preces nostras, quas in beati Athanasii Confessoris tui atque Pontificis solemnitate defecerimus : & qui tibi digne meruit familiaris, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolvet peccatis. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Athanasius Alexandrinus, Catholicae religionis propugnator acerrimus, ab Alexandro Episcopo Alexandrino Diacono factus est, in cuius locum successit, quem etiam antea secutus fuerat ad Nicaenum Concilium: ubi cum Arian impietatem repressisset, tantum odium Arianorum suscepit, ut ex eo tempore insidias moliri numquam destiterint. Nam coactus ad Tyrum Concilio magna ex parte Arianorum Episcoporum, subornatur mulierculam, quae accusaret Athanasium, quod hospitio acceptus, sibi stuprum per vim intulisset. Introductus igitur est Athanasius, & una cum eo Timotheus Presbyter, qui simulans se esse Athanasium, Egone, inquit, mulier, apud te sum diversatus? ego te violavi? Cui illa petulantur: Tu mihi vim attulisti: idque jurandam affirmans, iudicium fidem obtestabatur, ut tantum flagitium vindicarent. Quae cognita fraude, rejecta est mulieris impudentia.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : • Manu enim mea auxiliabitur ei, alleluia. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocet ei. Manus.

Lectio v.

Arsenium quoque Episcopum ab Athanasio interfecit Ari-

Ariani pervulgârunt: quem dum occulte detinent, manum mortui dederunt in iudicium, ab Athanasio ad usum magicæ artis Arsênio amputatam criminantes. At Arsénio noctu fugiens, cum se in conspectu totius Concilii statuisset, Athanasii inimicorum impudentissimum scelus aperuit. Quod illi nihilominus magicis artibus Athanasii tribuentes, vitæ ejus insidiari non desistebant. Quamobrem in exilium actus, in Gallia apud Tréviro exulavit. Grâvibus deinceps ac diuturnis sub Constantio Imperatore, Arianorum fautore, tempestatibus jactatus, & incredibiles calamitates perpessus, magnam orbis terræ partem peragravit: ac sæpe è sua Ecclesia ejectus, sæpe etiam in eandem & Julii Romani Pontificis auctoritate, & Constantis Imperatoris, decretis quoque Concilii Sardicënsis, ac Jerosolymitani, restitutus est; Ariani interea illi semper infestis: quorum pertinacem iram, & summum vitæ discrimen fugiens, in sicca cisterna quinque annis se abdidit, ejus rei tantum conscio quodam Athanasii amico, qui eum clam sustentabat.

R. Pôsui adiutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: **•** Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia. **✠.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

Constantio mortuo, cum Julianus Apóstata, qui ei in Imperio successit, exules Episcopos ad suas Ecclesias redire permisisset, Athanasius Alexandriam reversus, summo honore exceptus est. Sed non multo post, iisdem Ariani impellentibus, à Juliano

exagitatus, rursus discedere cogitur. Cùmque ab ejus satellitibus ad necem conquereretur, quâ fugiebat navicula conversâ in contrariam fluminis partem, iis, qui se insequerentur, ex industria occurrir: & querentibus, quantum inde abesset Athanasius, respondit, eum non longe abesse: itaque illos contrarium tenentes cursum effugit, atque Alexandriam rediens, ibidem usque ad Juliâni obitum occultus delituit. Ac denique ex tot tantisque periculis divinitus eremptus, Alexandriæ mortuus est in suo lectulo, sub Valente: cujus vita & mors magnis nobilitate est miraculis. Multa piè, & ad illustrandam Catholicam fidem præclare scripsit, sexque & quadraginta annos in summa temporum varietate Alexandrinam Ecclesiam sanctissime gubernavit.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: **•** Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. **✠.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

Lectio vij.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum persecuentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Et reliqua.

Cap. 10. c.

Homilia S. Athanasii Episcopi.

In Apolog. de fuga sua, ante medium. **I**n lege præceptum erat, ut constituerent civitates refugiorum, ut qui quomodocumque ad ne-

necem quaererentur, servari possent. In consummatione porro secularum eum advenisset illud ipsum Verbum Patris, quòd Mòysi antea locutum fuerat, rursus hoc præceptum dedit: Cum vos, iniqui, persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam. Paulòque post subiicit: Cum vidéritis illam abominationem desolationis, quæ dicta est per Danièlem Prophetam, consistentem in loco sancto (qui legit, intèlligat) tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto est, ne descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.

R. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum: stolam gloriæ induit eum, **•** Et ad portas paradisi coronâvit eum, alleluia. **✠.** Induit eum Dóminus lorica fidei, & ornâvit eum. Et ad.

Lectio viij.

Hæc cum scirent Sancti, ejusmodi tenuerunt suæ conversationis institutum. Quæ enim nunc præcepit Dóminus, eadem quoque ante suum in carne adventum locutus est in Sanctis: & hoc institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus jussit, id omnino faciendum est. Ideoque, & ipsum Verbum propter nos hominum factum, non indignum putâvit, cum quaereretur, quemadmodum & nos, abscondere se, & cum persecutionem pateretur, fugere, & insidias declinare: cum autem à se definitum tempus ipse adduxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volèbat, ultrò seipsum tradidit insidiantibus.

R. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, **•** Et implevit eum Dóminus spiritu sapientiæ & intellèctus, alleluia. **✠.** Jucunditatem & exulta-

tionem thesaurizavit super eum. Et implevit. Gloria Patri. Et implevit.

Lectio ix.

AT verò sancti homines cum hanc quoque formam à Salvatore didicissent (ab ipso enim & antea & semper omnes docebantur adversus persecutores, ut legitime certarent, fugiebant, & ab illis præstiti sibi à divina providentiâ temporis finem ignorarent, nolèbant insidiantibus se temerè tradere: sed contra, cum scirent quod scriptum est, in manibus Dei esse hominum sortes, & Dóminum mortificare, & vivificare, pòtius in finem usque perseverabant, circumvenisse, ut ait Apóstolus, in melòtis & pellibus caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, & in speluncis & cavernis terræ latentes, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsum definierat Deus, cum eis loqueretur, & insidiantes cohiberet, aut certe persecutoribus eos traderet, utinamque illi placuisset.

Te Deum laudamus. 13.

DIE III. MAII.

In Festo Inventionis S. Crucis. Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. O magnum pietatis opus, cum reliquis de Laudibus. 758. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominicis, 100. & loco ultimi, Psalmus. Laudate Dóminum omnes Gentes. 104.

Capitulum.

Philip. 2.

Fratres, Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalè Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitum inventus ut homo.

Hym-

Hymnus.

Vexilla Regis prædeunt:
Fulget Crucis mysterium

Quæ vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
Que vulnerata lanceæ
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit undè, & sanguine.

Impleta sunt quæ concinit
David fideli cærmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit à ligno Deus.
Arbor decora & fulgida,
Ornata Regis purpurâ,
Electa digno stipite

Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Prætiüm pepéndit sæculi,
Statèra facta corporis,
Tulitque prædam tartari.

O Crux ave spes unica,
Paschale quæ fers gaudium,
Piis adauge grâtiâm,
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis, Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriâm
Largiris, adde præmium.
Amen.

P. Hoc signum Crucis erit in cælo;
Alleluia. **R.** Cum Dóminus ad iudicandum venerit, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Crux splendidior cunctis astris,
mundo célebris, hominibus multum
amabilis, sanctorum universis: quæ
sola fuisti digna portare talentum
mundi: dulce lignum, dulces cla-
vos, dulcía ferens pondera: salva
præsentem catervam in tuis hodie
laudibus congregatam, alleluia,
alleluia.

Oratio.

Deus, qui in præclara salutiferæ
Crucis Inventionè, pas-
sionis tuæ miracula suscitasti: con-
cede, ut vitalis ligni prætió, æter-

ne vitæ suffragia consequamur. Qui
vivis & regnas.

Deinde pro Commemoratione

Sancti Athanasii & Anæ. O Doctor
optime, Ecclesiæ sanctæ lumen,
beate Athanasi, divinæ legis amâ-
tor, deprecare pro nobis Filium
Dei, alleluia. **R.** Justum deduxit
Dóminus per vias rectas, alleluia.
R. Et ostendit illi regnum Dei,
alleluia.

Oratio.

Exaudi, quæsumus Dómine,
preces nostras, quas in beati
Athanasi Confessoris tui atque
Pontificis solemnitate deserimus: &
qui tibi dignè meruit famulari,
ejus intercedentibus meritis, ab om-
nibus nos absolvet peccatis. Per Dó-
minum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Christum Regem crucifixum. **V.** Ven-
nite, adoremus, alleluia. **Psalmus.**
Venite, exultemus. r.

Hymnus.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis,
Et super Crucis trophæo
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxiâlis
In necem morsu ruit:

Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostræ salutis
Ordo deposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret.

Et medelam ferret indè,
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patriis
Natus, orbis Conditor,

Atque ventre Virginali.

Car-

Carne amictus prædit.
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia:
Membra pannis involata
Virgo mater alligat:
Et Dei manus, pedesque
Stricta cingit fasciâ.

Sempiterna sit beata
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque;
Par decus Paraclito:
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

In primo Nocturno, Antiphona.
Inventæ Crucis festa recolimus, cu-
jus præconiüm univèrsum per orbem
micanti lumine fulget, alleluia.

Psalmus 1.

Beatus vir, qui non abiit in
consilio impiòrum, & in via
peccatorum non stetit, & in cà-
thedra pestilentie non sedit:

Sed in lege Domini voluntas ejus,
& in lege ejus meditabitur die ac
nocte.

Et erit tamquam lignum, quod
plantatum est secus decursus aqua-
rum, * quod fructum suum dabit
in tempore suo:

Et folium ejus non defluet: * &
omnia quæcumque faciet, prospera-
buntur.

Non sic impij, non sic: * sed tam-
quam pulvis, quem projicit ventus
à facie terræ.

Idèò non resurgent impij in iudicio: *
neque peccatores in concilio
justorum.

Quoniam novit Dóminus viam ius-
torum: * & iter impiòrum peribit.

Psalmus 2.

Quare fremuerunt Gentes, *
& populi meditati sunt
inania?

Astiterunt reges terræ, & prínci-
pes convenèrunt in unum * advèr-
sus Dominum, & advèrsus Chris-
tum ejus.

Pars Hyemalis.

Dirumpamus vincula eòrum: * &
projiciamus à nobis jugum ipsòrum.
Qui habitat in cælis iridebit
eos: * & Dóminus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, *
& in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum rex
ab eo super Sion montem sanctum
ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Filius
meus es tu, ego hodie genui te.

Póstula a me, & dabo tibi Gentes
hereditatem tuam, * & possessionem
tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * &
tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudi-
mini qui iudicatis terram.

Servite Dómino in timóre: * &
exultate ei cum tremóre.

Apprehendite disciplinam ne-
quando irascatur Dóminus, * &
pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, *
beati omnes, qui confidunt in eo.

Psalmus 3.

Domine quid multiplicati sunt
qui tribulant me? * multi in-
surgunt advèrsum me.

Multi dicunt anime meæ: * Non
est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine susceptor meus
es, * gloria mea, & exaltans caput
meum.

Voce meâ ad Dóminum clamavi:
& exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum: *
& exurrexi, quia Dóminus suscepit
me.

Non timebo millia populi circum-
dantis me: * exurge Dómine, sal-
vum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes ad-
versantes mihi sine causa: * den-
tes peccatorum contrivisti.

Dóminus est salus: * & super popu-
lum tuum benedictio tua.

Bbb

Aa

Antiphona. Inventa Crucis festa recólimus, cuius præciónum univèrsium per orbem micanti lumine frugget, alleluia. **Ps.** Hoc signum Crucis erit in cœlo, alleluia. **R.** Cùm Dóminus ad iudicandum venerit, alleluia. Pater noster. **Absolutio.** Exaudi Dómine. **Ps.** Jube domne. **Benedictio.** Benedictioem perpétua. De Epistola beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Lectio j.

Cap. 3. b

Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro legis, ut faciat ea. Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed, Qui fecerit ea, vivi in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: ut in Gentibus benedictio Abraham fieret in Christo Jesu, ut pollutionem Spiritus accipiamus per fidem.

R. Gloriosum diem sacra veneratur Ecclesiæ, dum triumphale reseratur lignum: * In quo Redemptor noster mortis vincula rumpens, callidum aspitem superavit, alleluia, alleluia, alleluia. **Ps.** In ligno pendens nostræ salutis semitam Verbum Patris invenit. In quo. **Benedictio.** Unigenitus Dei filius.

De Epistola ad Philippenses.

Lectio ij.

Cap. 2.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inven-

tus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dóminus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

R. Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis: nulla sylvam proferet fronde, flore, germine: * Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit, alleluia. **Ps.** Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior. Dulce. **Benedictio.** Spiritus sancti grátia.

De Epistola ad Colossenses.

Lectio iij.

Cap. 2. b

In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: & estis in illo replati, qui est caput omnis principatus & potestatis: in quo & circumcisi estis circumcissione non manufacta in expollitione corporis carnis, sed in circumcissione Christi: conscripti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates, traduxit confingenter, palam triumphans illos in semetipso.

R. Hac est arbor dignissima, in paractis medio situata. * In qua salutis auctor propria morte mortem omnium superavit, alleluia, alleluia.

x.

Ps. Crux præcellenti decore fulgida, quam Helena Constantini mater concupiscenti animo requisivit. In qua salutis. Glória Patri. In qua.

In secundo Nocturno, Antiphona. Felix ille triumphus fit salus agris, vite lignum, mortis remedium, alleluia.

Psalmus 4.

Cum invocarem exaudivit me Deus iustitiæ meæ: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * & exaudi orationem meam.

Fili hominum usquequò gravi corde? * ut qui diligitis vanitatem, & queritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exaudivit me cum clamavero ad eum.

Trascimini, & nolite peccare: * quæ dicitis in corâibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificâte sacrificium iustitiæ, & sperate in Dómino: * multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Dómine: * dedisti lætitiâ in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, & requiescam.

Quoniam in Dómine singulariter in spe * constituisti me.

Psalmus 5.

Verba mea auribus percipe Dómine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orâbo: * Dómine manè exaudies vocem meam.

Manè astâbo tibi, & videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus.

neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odis omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dóminus: * ego autem in multitudinem misericordie tue.

Introibo in domum tuam: * adorâbo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Dómine deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agébant. * júdica illos Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, * quoniam irritaverunt te Dómine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te, * in ætèrnum exultabunt: & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, * quoniam tu benedices justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Psalmus 8.

Domine Dóminus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua, * super cælos.

Ex ore infantium & lactentium percipisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum & ultorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam & stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam

visitas eum?

Bbb 2

Mi-

Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum: * & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus ejus,* oves & boves univ'ersas: insuper & pecora campi.

Volucres cœli, & pisces maris,* qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster,* quàm admirabile est nomen tuum in univ'ersa terra!

Antiphona. Felix ille triumphus fit salus agris, vitæ lignum, mortis remedium, alleluia. **V.** Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, alleluia. **R.** Quia per Crucem tuam redemisti mundum, alleluia. Pater noster. **Absolutio.** Ipsius pietas. **V.** Jube domne. **Benedictio.** Deus Pater omnipotens.

Lectio iv.

Post insignem victoriam, quam Constantinus Imperator, divinitus accepto signo Dominicæ Crucis, ex Maxentio reportavit, Helena Constantini mater in somnis admonita, conquirendæ Crucis studio Jerosolymam venit: ubi marmoream Veneris statuum in Crucis loco à Gentibus collocatam ad tollendam Christi Domini passionis memoriam, post centum circiter octoginta annos, evertendam curavit. Quod item fecit ad Præseppe Salvatoris, & in loco resurrectionis, in eâ Adonidis, hinc Jovis sublato simulacro.

R. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra: * Per quem salvati & liberati sumus, alleluia. **V.** Tuam Crucem adoramus Domine, & recolimus tuam gloriosam passionem. Per quem. **Benedict.** Christus per-

Lectio v.

Itaque loco Crucis purgato, alte defossæ tres cruces eructæ sunt, repertisque seorsum ab illis Crucis Dominicæ titulus: qui cum ex tribus, cui affixus fuisset, non appareret, eam dubitationem sustulit miraculum. Nam Macarius Jerosolymorum Episcopus, factis Deo precibus, singulas cruces cutdam femine gravi morbo laboranti admovit: cui cum relique nihil profuissent, adhibita tertia Crux statim eam sanavit.

R. Dum sacrum pignus cœlitus revelatur, Christi fides roboratur: * Adsunt prodigia divina in virga Moysi primitus figurata, alleluia, alleluia. **V.** Ad Crucis contactum resurgunt mortui, & Dei magnalia reserantur. Adsunt prodigia. **Benedictio.** Ignem sui amovis.

Lectio vi.

Helena, salutari Cruce inventa, magnificentissimam ibi extrusit Ecclesiam, in qua partem Crucis reliquit thecis argenteis inclisam, partem Constantino filio detulit: quæ Romæ reposita fuit in Ecclesia Sanctæ Crucis in Jerosolymam, ædificata in ædibus Sessorianis. Clavos etiam attulit filio, quibus sanctissimum Jesu Christi corpus fixum fuerat. Quo ex tempore Constantinus legem sanctovit, ne crux ad supplicium cuiquam adhiberetur: ita res quæ antea hominibus probo ac ludibrio fuerat, venerationi & gloriæ esse cepit.

R. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit: * Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri, alleluia, alleluia. **V.** Cum sederit Filius hominis in sedem majestatis suæ, & cœperit judicare sæculum per ignem. Tunc. Gloriam Patri. Tunc.

In

In tertio Nocturno, Antiphona. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum, alleluia.

Psalmus 95.

Cantate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium demonia: * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferre Domino patriæ gentium, afferre Domino gloriam & honorem: * afferre Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus: * adorare Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus univ'ersa terra: * dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim corripit orbem terræ qui non commovebitur: * indicabit populos in aequitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: * gaudebit campi, & omnia, quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in aequitate, * & populos in veritate sua.

Psalmus 96.

Dominus regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in circuitu ejus: * justitia, & judicium correptionis sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, * & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbis terræ: * vidit, & commota est terra.

Montes, sicut cera fluxerunt à facie Domini: * à facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * & qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, & lætata est Sion.

Et exultaverunt filia Judæ, * propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberavit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætitia.

Lætamiini justi in Domino: * & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Psalmus 97.

Cantate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus: * & brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutarem suam: * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suæ: * & veritatis omnes domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ * salutarem Dei nostri.

Jubilat Deo omnis terra: * cantate, & exultate, & psallite.

Bbb 3

Psal-

Psállite Dómino in cithara, in cithara & voce psalmi: * in tubis ductilibus, & voce tubæ córnea.

Jubiláte in conspectu regis Dómini: * moveátur mare, & plenitúdo ejus: orbis terrárum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Dómini: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justitia, * & pópulos in aequitate.

Antiphona. Adorámus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum, alleluia. **Ps.** Omnis terra adoréte te, & psallat tibi, alleluia. **R.** Psalmum dicat nómini tuo Dómine, alleluia. Pater noster. **Absolutio.** A vinculis. **Ps.** Jube domne. **Benedictio.** Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 3.

In illo tempore: Erat homo ex Pharisæis, Nicodémus nómine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Et réliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Traçatu 11. in Joánnem, post initium.*

Nicodémus ex his erat, qui crederant in nómine Jesu, videntes signa & prodigia que faciebat. Superiús enim hoc dixit: Cùm autem esset Jerosólymis in Pascha in die festo, multi crederunt in nómine ejus. Quare crederunt in nómine ejus? Sèquitur, & dicit: Vidéntes signa ejus que faciebat. Et de Nicodémo quid dicit? Erat princeps Judæórum, nómine Nicodémus. Hic venit ad eum nocte, & ait illi: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Et

iste ergo crederat in nómine ejus. Et ipse undè crederat? Sèquitur: Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

R. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit: * Quæ sola digna fuit portare prætium hujus sæculi, alleluia. **Ps.** Hoc signum Crucis erit in celo, cùm Dóminus ad judicandum vénerit. Quæ sola. **Benedictio.** Divinum auxilium.

Lectio viii.

Sergo Nicodémus de illis multis erat, qui crederant in nómine ejus, jam in isto Nicodémo attendámus, quare Jesus non se credebát eis. Respondit Jesus, & dixit ei: Amen dico tibi, nisi quis renátus fuerit denuò, non potest vidére regnum Dei. Ipsi ergo se credit Jesus, qui nati fuerint denuò. Ecce illi crederant in eum, & Jesus non se credebát eis. Tales sunt omnes cathécumini: ipsi jam credunt in nómine Christi, sed Jesus non se credit eis. Inténdat & intèlligat chãritas vestra. Si dixerimus cathécumeno: Credis in Christum? Respondet, Credo, & signat se Cruce Christi: portat in fronte, & non erubescit de Cruce Dómini sui. Ecce credit in nómine ejus. Interrogémus eum: Mandúcas carnem Filii hóminis, & bibis sanguinem Filii hóminis? Nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei.

R. Sicut Móyses exaltávit serpéntem in deserto, ita exaltári oportet Filium hóminis: * Ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed habeat vitam æternam, alleluia. **Ps.** Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Ut omnis, Glória Patri. Ut omnis.

Benedictio. Ad societátem.

Pro

Pro SS. Alexandro, Evento, & Theodulo Martyribus, ac Juvenale Episcopo, & Confessore.

Lectio ix.

Alexánder RománuS, Adriáno Imperatóre regens Ecclésiám, magnam partem Románæ nobilitátis ad Christum convértit. Is constituit, ut tantúmmodo panis & vinum in mystérium offerretur: vinum autem aquá miscéri jussit, propter sanguinem & aquam, quæ ex Jesu Christi latere profluxerunt: & in Canone Missæ addidit: Qui pridie quam pateretur. Idem decrevit, ut aqua benedicta sale admixto, perpétuo in Ecclésiá asservaretur, & in cubiculis adhiberetur ad fugandos hæmones. Sedit annos decem, menses quinque, & dies viginti, vitæ sanctitáte & salutáribus institutis illustris. Martyrio coronátus est uná cùm Evento & Theodulo Presbyteris, sepultusque est viá Nomentaná, tertio ab Urbe lapide, eodem in loco ubi securi percussus fuerat; creatis diversò tempore mense Decémbris Presbyteris sex, Diaconis duobus, & Episcopis per diversa loca quinque. Eórum córpora póstea in Urbem translata, in Ecclésiá Sanctæ Sabinae cóndita sunt. In eundem diem incidit beata mors Sancti Juvenális NarniënSis Episcopi: qui cùm plúrimis in ea urbe sanctitáte & doctrinâ Christo peperisset, clarus miraculis in pace quievit, ibique honorificè sepultus est.

Te Deum laudámus. 13.

AD LAUDÉS,

& per Horas, Antiphona.

O Magnum pietátis opus! mors mórtua tunc est, in ligno quando mórtua vita fuit, alleluia. **Psalm.** Dóminus regnávít. **cum reliquis.** 14. **Añs.** Salva nos Christe Salvátor per virtútem Crucis, qui

salvásti Petrum in mari, miserére nobis, alleluia. **Añs.** Ecce Crucem Dómini, fugite partes advérsæ, vicit leo de tribu Juda, radix David, alleluia. **Añs.** Nos autem gloriári oportet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, alleluia. **Añs.** Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus, alleluia.

Capitulum. *Philip. 2.*

Fratres, Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetipsum exinanivit formam serví accipiens, in similitudinem hóminum factus, & habitum ventus ut homo.

Hymnus.

Lustra sex qui jam perégit, Tempus implens corpore, Sponte libera Redemptor Passióni déditus; Agnus in Crucis levatur Immolándus stipte. Felle potus ecce languet, Spina, clavi, lancea White corpus perforarunt: Unda manat, & eror: Terra, pontus, astra, mundus, Quo lavantur flumine! Crux fidélis, inter omnes Arbor una nobilis: Sylva talem nulla profert Fronde, flore, germine: Dulce ferrum, dulce lignum, Dulce pondus sustinent. Flecte ramos arbor alta, Tensa laxa viscera, Erigor lentescat ille, Quom dedit nativitas, Et supérni membra Regis Tendé miti stipte. Sola digna tu fuisi

Ferre mundi Victimam; Atque portum preparare Arca mundo naufragi, Quam sacer cruor perunxit,

Bbb 4

Fu-

Fusus Agni corpore.
Sempiterna sit beate
Trinitati gloria.
Æqua Patri, Filioque;
Par decus Paracleti
Unius Trinque nomen
Laudet universitas. Amen.

V. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, alleluia. **R.** Quia per Crucem tuam redemisti mundum, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.
Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphavit, & mors moget superavit in æternum, alleluia.

Oratio.
Deus, qui in præclara salutifera Crucis Inventione, passionis tue miracula suscitasti: concede, ut vitalis ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Et fit Commemoratio Sanctorum Alexandri, Eventii, & Theoduli Martyrum, ac Juvenalis Episcopi & Confessoris, hoc loco tantum.
Antiphona. Filie Jerusalem, venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis & lætitiæ, alleluia, alleluia. **V.** Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. **R.** Mors Sanctorum eius, alleluia.

Oratio.
Prestata, quæsumus omnipotens Deus; ut qui Sanctorum tuorum Alexandri, Eventii, Theoduli, & cunctis malis imminentiis, eorum intercessione liberemur. Per Dominum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona. Salva nos. **Capitulum.** Fratres, Hoc enim, ut supra.

R. breve. Hoc signum Crucis erit in caelo, & Alleluia, alleluia. Hoc

signum. **V.** Cum Dominus ad iudicandum venerit. Alleluia, alleluia. Glória Patri. Hoc signum. **V.** Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, alleluia. **R.** Quia per Crucem tuam redemisti mundum, alleluia.

Ad Sextam, Antiphona.
Ecce Crucem Domini.

Capitulum. Galat. 6. d
Mihî autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

R. breve. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, & Alleluia, alleluia. Adoramus. **V.** Quia per Crucem tuam redemisti mundum. Alleluia, alleluia. Glória Patri. Adoramus. **V.** Omnis terra adorare te, & psallat tibi, alleluia. **R.** Psalmum dicat nomini tuo Domine, alleluia.

Ad Nonam, Antiphona.
Per signum Crucis.

Capitulum. Philip. 2.
Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

R. breve. Omnis terra adoret te, & psallat tibi, & Alleluia, alleluia. Omnis. **V.** Psalmum dicat nomini tuo Domine. Alleluia, alleluia. Glória Patri. Omnis terra. **V.** Hoc signum Crucis erit in caelo, alleluia. **R.** Cum Dominus ad iudicandum venerit, alleluia.

Ad Vesperas, Antiphona. O magnum, cum reliquis de Laudibus. 755. Psalmi, Capitulum, Hymnus, & **V.** ut in primis Vespere. 755.

Ad Magnificat, Antiphona.
Crucem sanctam subit, qui infernum confrégit, accinctus est potentem

tentiâ, surrexit die tertiâ, alleluia. **Oratio.** Deus, qui in præclara salutifera, ut supra.

Deinde fit Commemoratio Sanctæ Monicæ.

DIE IV. MAII.
In Festo S. Monicæ Viduæ. Duplex.
Omnia de Communi Sanctarum nec Virginum nec Martyrum, xvij. præter sequentia.

Oratio.
Deus mœrentium consolator & in te sperantium salus, qui beata Mónica piâs lacrymas in conversione filii sui Augustini misericorditer suscepisti: da nobis utriusque intervêntu peccata nostrâ deplorare, & gratiæ tuæ indulgentiam invenire. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.
In secundo Nocturno.

Leccio iv.
Monica, Sancti Augustini dupliciter mater, quia eum & mundo & caelo peperit, marito mortuo, quem senectute confectum Jesu Christo conciliavit, castam & operibus misericordiæ exercitam viduitatem agebat: in assiduis verò ad Deum orationibus pro filio, qui in Manichæorum sectam inciderat, lacrymas effundebat: quem etiam Mediolanum secuta est: ubi ipsum frequenter hortabatur, ut ad Episcopum Ambrôsium se conferret. Quod cum ille fecisset, ejus & publicis concionibus, & privatis colloquiis Catholice fidei veritatem edocuit, ab eodem baptizatus est.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & Et deducet te mirabiliter dextera tua, alleluia. **V.** Spécie tuâ & pulchritudine tuâ intênde, prospere procede, & regna. Et deducet.

Leccio v.

Mox in Africam redeuntes, cum ad Ostia Tiberina constitissent, incidit in febrem. Quo in morbo cum eam quodam die anima defecisset, ut se collégit. Ubi, inquit, eram? Et astantes intuent: Ponite hic matrem vestram: tantum vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei. Nono autem die beata mulier animam Deo reddidit. Ejus corpus hinc in Ecclesia Sanctæ Aree sepultum est: quod postea Martino Quinto Summo Pontifice Romam translatum, in Ecclesia Sancti Augustini honorifice conditum est.

R. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, alleluia. **V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea. *Ex lib. 9. Conf. cap. 12.*

Leccio vi.

Subdit verò Augustinus, de matris morte disserens: Neque enim decere arbitramur funus illud quæstibus lacrymâs, gemitibus celebrare, quia illa nec miseræ, nec omnino moriebatur: hoc & documentum morum ejus, & fide non fictâ, rationibusque certis tenebamus. Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam, conversationemque ejus piam in te & sanctam, in nos blandam atque morigeram, quâ subito destitimus, & libuit flere de illa & pro illa: & si quis peccatum invenerit, flevisse me matrem meam exigua parte horæ, matrem oculis meis mortuam, quæ me multos annos fleverat, ut oculis suis viverem, non irideat: sed potius, si est grande charitatem, pro peccatis meis fleat ipse ad te Patrem omnium fratrum Christi tui.

R. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: Mulier timens Deum, ipsa laudabitur, alleluia. **V.** Date ei

ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. *Mulier. Glória Patri. Mulier.*

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundam Lucam.

Lectio vij.

Cap. 7. b

In illo tempore: Ibat Jesus in civitatem, quae vocatur Naím: & ibat cum eo discipuli ejus, & turba copiosa. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. *Serm. 44 de Verbis Domini, circa initium.*

DE juvene illo resuscitato: devisa est mater vidua: de hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet mater Ecclesiae. Ille quidem mortuus erat corpore, illi autem mente. Illius vero visibiliter plangebatur: illorum mors invisibilis nec querebatur, nec videbatur. Quaesivit ille, qui noverat mortuos. Ille solus noverat mortuos, qui poterat facere vivos. Nisi enim ad mortuos suscitandos venisset, Apóstolus non diceret: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

R. Os suum aperuit sapientiae, & re clementiae in lingua ejus: consideravit semitas domus suae. * Et panem otiosa non comedit, alleluia. **V.** Gustavit & vidit quia bona est negotiatio ejus: non extinguitur in nocte lucerna ejus. Et panem.

Lectio vij.

Tres autem mortuos invenimus à Domino resuscitados visibiliter, millia invisibiliter. Quot autem mortuos visibiliter suscitaverit, quis novit? Non enim omnia, quae fecit, scripta sunt. Joannes hoc dixit: Multa alia fecit Jesus, quae si scripta essent, arborum totum mundum non posse libros capere. Multi ergo sunt alii sine dubio suscitati, sed non tres frustra commemorati. Do-

minus enim noster Jesus Christus, ea quae faciebat corporaliter, etiam spiritaliter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat: sed ut illa, quae faciebat, mira essent vidéntibus, vera essent intelligentibus.

R. Regnum mundi, & omnem ornatum saeculi contempsit propter amorem Domini mei Jesu Christi. * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi, alleluia.

V. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Quem vidi. Glória Patri. Quem vidi.

Lectio ix.

Quemadmodum qui videt litteras in códice optime scripto, & non novit legere, laudat quidem antiquarii manum, admirans apicum pulchritudinem: sed quid sibi velint, quid indicent illi apices, nescit; & est oculis laudator, mente non cognitor. Alius autem & laudat artificium, & capit intellectum: ille utique, qui non solum videre, quod commune est omnibus, potest, sed etiam legere, quod non dicit, non potest. Ita qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt quid sibi vellent, & quid intelligentibus quodammodo innuerent, mirati sunt tantum quia facta sunt: alii vero & facta mirati, & intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus.

Te Deum laudamus. 13.

In secundis Vesperis à Cap. sequentis Commem. praeced.

DIE V. MAII.

In Festo Sancti Pii Quinti, Papae & Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comuni Confessoris Pontificis, lix. praeter ea, quae sequuntur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius Versus.

Ora-

Oratio.

DEus, qui ad conterendos Ecclesiae tuae hostes, & ad divinum cultum reparandum, beatum Pium Pontificem Maximum eligere dignatus es: fac nos ita tuis inhærere obsequiis; ut omnium hostium superatius insidiis, perpetua pace letemur. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno.

Lectio iij.

Pius in oppido Instúbræ, quod Boschum vocant, natus, sed è Bononia oriundus ex nobili Ghisleriorum familia, cum quatuordecim esset annorum, Ordinem Prædicatorem ingressus est. Erat in eo admirabilis patientia, profunda humilitas, summa vitae austeritas, continuum orationis studium, & regularis observantiae, ac divini honoris ardentissimus zelus. Philosophiae verò, ac Theologiae incumtus, adeo in iis excelluit, ut illas docendi munus magna cum laude per multos annos exercuerit. Sacras conciones pluribus in locis cum ingenti auditorum fructu habuit. Inquisitoris officium inviolabilis animi fortitudine diu sustinuit, multasque civitates, non sine vitae discrimine, ab haeresi tunc grassante immunes servavit.

R. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim me auxiliabitur ei, alleluia. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

A Paulo Quarto, cui ob eximias virtutes charissimus erat, ad Nepesinum, & Sutrinum Episcopatum promotus, & post biennium inter Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales adscriptus fuit. Tum ad Ecclesiam Montis regalis in Sub-

pinis à Pio Quarto translatus, cum plures in eam abusus irrepisse cognovisset, totam Diocesim lustravit, rebusque compositis Romam reverens, gravissimis expediendis negotiis applicatus, quod justum erat, Apostolica libertate, & constantia decernebat. Mortuo autem Pio, praeter omnium expectationem electus Pontifex, nihil in vita ratione, excepto exteriori habitu, immutavit. Fuit in eo religionis propagandae perpetuum studium, in Ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ jurebus vindicandis robor invictum.

R. Pósiui adjutorium super potentem & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vi.

Selimum Turcarum tyrannum multis elatum victoriis, ingenite comparata classe, ad Echinadas insulas non tam armis, quam fuis ad Deum precibus devicit. Quam victoriam ea ipsa hora, qua obtenta fuit, Deo revelante, cognovit, suisque familiaribus indicavit. Dum vero novam in ipsos Turcas expeditionem moliretur, in gravem morbum incidit, & acerbissimis doloribus patientissime toleratis, ad extremam deveniens, cum Sacramenta de more suscepisset, animam Deo placidissime reddidit, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, ætatis suae sexagesimo octavo, cum sedisset annos sex, menses tres, dies viginti quatuor. Corpus ejus in Basilica Sanctae Mariae ad Præseppe summâ fidelium veneratio-

ne

ne cõlitur, multis à Deo ejus intercessionẽ patrãtis miraculis. Quibus ritè probatis à Clemẽte Undecimo Pontifice Moximo Sanctõrum nũmero adscriptus est.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinã ejus replẽta est: * Ipse intercẽdat pro peccãtis omnium populõrum, alleluia. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercẽdat. Glõria Patri. Ipse intercẽdat.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Homo peregrè proficiscens, ut in Communi Confessor. Pontif. lxx.

Verperã de sequenti, Commemoratio præcedentis.

DIE VI. MAII.

In Festo Sancti Joannis Ante Portam Latinam. Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum tempore Paschali, xvi. præter illa, quæ hic sunt propria.

Ad Magnificat, in utrisque Vesperis, Antiph. In ferventis olei dõsum missus beatus Joannes Apostolus, divinã se protegẽte grãtia illasus exivit, alleluia.

Oratio.

DEus, qui cõspicis, quia nos undique mala nostra perturbant: præsta quæsumus; ut beati Joannis Apostoli tui & Evangelistæ intercessio gloriosa nos protegat. Per Dõminum nostrum.

In primo Nocturno legitur initium Epistolæ primæ beati Joannis, ut in Dominica infra Octavam Ascensionis, 338. nisi eo tempore legatur de libro Apocalypsis, vel de ejus Epistola: tunc enim ponuntur Lectiones eo die occurrentes.

In secundo Nocturno.

Ex libro Sancti Hierõnymi Presbyteri contra Jovinianum.

LECTIO IV.

Lib. 1.

JOãnes Apostolus, unus ex discipulis Dõmini, qui minimus natu traditur fuisse inter Apostolos, & quem fides Christi virginem pepererat, virgo permansit: & ideo plus amãtur à Dõmino, & recumbit super pectus Jesu: & quod Petrus, qui uxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat ut interroget: & post resurrectionem nuntiante Maria Magdalene quod Dõminus resurrexisset, uterque cucurrit ad sepulchrum, sed ille prævenit: cùmque essent in navi, & piscarẽtur in lacu Genesareth, Jesus stabat in littore, nec sciẽbat Apostoli quem vidẽrent: solus virgo virginem agnoscit, & dicit Petros: Dõminus est.

R. Lux perpẽtua lucẽbit Sanctis tuis Dõmine, * Et æternitas tẽporum, alleluia, alleluia. **V.** Lætitia sempiterna erit super cãpita eõrum: gaudium & exultationem obtinebunt. Et æternitas.

LECTIO V.

Fuit autem Joannes & Apostolus & Evangelista, & Prophetã. Apostolus, quia scripsit ad Ecclesiã ut magister: Evangelista, quia librum Evangelii cõdidit, quod, excepto Mattheo, ali ex duodecim Apostolis non fecerunt: Prophetã, vidit enim in Patmos insula, in qua fuerat à Domitiãno Principe ob Dõmini martyrium relegãtus, Apocalypsim, infinitã futurõrum mysteria continẽntem. Refert autem Tertullianus, quod Romæ missus in ferventis olei dõllum, prius & vegetior exiverit, quam intrãverit.

R. Virtute magnã reddẽntur Apostoli, * Testimonium resurrectionis Jesu Christi Dõmini nostri, alle-

leluia, alleluia. **V.** Replẽti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Testimonium.

LECTIO VI.

Sed & ipsum ejus Evangelium multũ distat à ceteris. Matheus quasi de hõmine incipit scribere, & quem fides Christi filii David, filii Abraham: Lucas à sacerdotio Zachariæ; Marcus à propheta Malachia & Isaia. Primus habet faciem hõminis, propter genealogiam: secundus faciem vituli, propter sacerdotium: tertius faciem leõnis, propter vocem clamantis in deserto, Parãte viam Dõmini, rectas facite sẽmitas ejus. Joannes verò noster quasi aquila ad superna volat, & ad ipsum Patrem pervenit, dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

R. Isti sunt agni novelli, qui annuntiãverunt, alleluia: modo venerunt ad fontes, * Replẽti sunt claritate, alleluia, alleluia. **V.** In conspectu Agni amici sunt stolis albis, & palmae in manibus eõrum. Replẽti. Glõria Patri. Replẽti.

In tertio Nocturno.

LECTIO sancti Evangelii secundũ Mattheum.

LECTIO VII.

Cap. 20. c.

In illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæicum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia Sancti Hierõnymi Presbyteri.

Lib. 3. Comment. in Matth. cap. 20.

Unẽ opinionem regni habet mater filiorum Zebedæi, ut cùm Dõminus dixerit, Filius hõminis tradetur principibus sacerdotum & Scribis, & condemnabitur morte, & tradent Gẽtibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & ignominiam pas-

sionis timẽntibus discipulis nuntiãret, illa gloriam postulet triumphantis? Hac, ut reor, ex causa, quia post omnia dixerat Dõminus: Et tertia die resurget: putãvit eum mulier post resurrectionem illico regnaturũ, & hoc quod in secundo adventu promittitur, in primo esse complendum: & aviditate femine presentia cupit, inmemor futurõrum. **R.** Ego sum vitis vera, & vos palmites: * Qui manet in me, & ego in eo, * hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. **V.** Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Qui.

LECTIO VIII.

Mater postulat, & Dõminus discipulis loquitur, intelligens preces ejus ex filiorum descendere voluntate. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Calicem in Scripturis divinis passionem intelligimus, juxta illud: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Et in Psalmo: Quid retribuam Dõmino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Dõmini invocabo. Statimque infert quis iste sit calix: Pretiosa in conspectu Dõmini mors Sanctõrum ejus.

R. Cãndidi facti sunt Nazaræi ejus, alleluia: splendorem Deo cederunt, alleluia. * Et sicut lac coagulati sunt, alleluia, alleluia. **V.** Cãndidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Et sicut. Glõria Patri. Et sicut.

LECTIO IX.

Quæratur, quomodo calicem martyrii filii Zebedæi, Jacobus videlicet & Joannes biberint: cùm Scriptura narret, Jacobum tantũ Apostolum ab Herodæ capite truncatum, Joannes autem propria morte vitam finire. Sed si legamus Ecclesiasticas historias, in qui-

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem Archangelorum Dominum.

• Venite, adoremus, alleluia.

• **Psalmus.** Venite, exultemus. 1.

Hymnus. Te splendor, ut supra.

In primo Nocturno, Antiphona.

Concussus est mare, & contremuit

terra, ubi Archangelus Michael

descendebat de caelo, alleluia.

• **Psalmus 3.**

Domine Dominus noster, * quam

admirabile est nomen tuum

in univēsa terra.

Quoniam elevata est magnificētia

tua * super caelos.

Ex ore infantium & lactentium

perfecisti laudem propter inimicos tuos, *

ut destruas inimicum & ultorem.

Quoniam videbo caelos tuos, ope-

ra digitorum tuorum: * lunam &

stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es

ejus? * aut filius hominis, quoniam

visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab An-

gelis, gloria & honore coronasti

eum: * & constituisti eum super

opera manuum tuarum.

Omnia subjectisti sub pedibus

ejus: * oves & boves univēsas: in-

super & pecora campi.

Volucres caeli, & pisces maris, *

qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam

admirabile est nomen tuum in uni-

versā terra!

• **Psalmus 10.**

In Domino confido: quomodo di-

citis anima meae: * Transmigra

in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intendē-

runt arcum, paraverunt sagittas

suas in pharetra, * ut sagittent in

obscurō rectos corde.

• Quoniam quae perfecisti, destruxē-

runt: * justus autem quid fecit?

• Dominus in templo sancto suo, *

Domini in caelo sedes ejus, . . .

Oculi ejus in pauperem respi-

ciunt: * palpebrae ejus interrogant

filios hominum.

Domini interrogat justum & im-

pium: * qui autem diligit iniquita-

tem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueo: *

ignis, & sulphur, & spiritus procel-

larum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, & justia

dilexit: * aequitatem vidit vul-

tus ejus.

• **Psalmus 14.**

Domine quis habitabit in taber-

naculo tuo? * aut quis requies-

cet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * &

operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde

suo, * qui non egit dolum in lin-

gua sua:

Nec fecit proximo suo malum, *

& opprobrium non accepit adver-

sus proximis suis.

Ad nihilum deductus est in consp-

ectu ejus malignus: * timētes au-

tem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, & non de-

cepit, * qui pecuniam suam non de-

dit ad usuram, & mīnēra super in-

nocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movēbitur

in aeternum.

Antiphona. Concussus est mare, &

contremuit terra, ubi Archangelus

Michael descendebat de caelo, alle-

luia. • Stetit Angelus juxta aram

templi, alleluia. • Habens thuri-

bulum aureum in manu sua, alleluia.

Pater noster. **Absolutio.** Exaudi

Domine. • Jube domine. **Bene-**

dictio. Benedictione perpetua.

• **Lectio j.** **Cap. 7. e**

Aspiciebam donec throni positi

sunt, & antiquus dierum sedi-

dit: vestimentum ejus candidum

quasi nix, & capilli capitis ejus

qua-

quasi lana munda: thronus ejus

flammae ignis: rotae ejus ignis accen-

des. Fluvius igneus rapidusque egre-

diebatur a facie ejus. Millia millium

ministrabant ei, & decies millies

centena millia assistebant ei: judi-

cium sedit, & libri aperti sunt. Aspi-

ciebam propter vocem sermonum

grandium, quos cornu illud loque-

batur: & vidi quoniam interfecta

esset bestia, & perisset corpusejus, &

traditum esset ad comburendum igni.

• **Factum est silentium in caelo,**

dom committeret bellum draco cum

Michaele Archangelo: * Audita est

vox millia millium dicentium: Salus,

honor, & virtus omnipotentī Deo,

alleluia. • Millia millium mini-

strabant ei, & decies centena millia

assistebant ei. Audita est vox. **Bene-**

dictio. Unigenitus Dei Filius.

• **Lectio ij.** **Cap. 10.**

De autem vigesima & quarta

mensis primi eram juxta flu-

viū magnum, qui est Tigris. Et le-

vavi oculos meos, & vidi: & ecce vir

unus vestitus lineis, & renes ejus ac-

centi auro obrizo: & corpus ejus

quasi chrysolithus, & facies ejus ve-

lut species fulguris, & oculi ejus ut

lampas ardens, & brachia ejus, &

quae deorsum sunt usque ad pedes,

quasi species aeris candentis: & vox

sermonum ejus ut vox multitudinis.

Vidi autem ego Daniel solus visio-

nem: porro viri, qui erant mecum,

non viderunt: sed terror nimis ir-

ruit super eos, & fugerunt in abscon-

ditum. Ego autem relictus solus vidi

visionem grandem hanc: & non re-

mansit in me fortitudo, sed species

meae immutata est in me, & emarci-

ti, nec habui quidquam virtutum.

• Stetit Angelus juxta aram tem-

pli, habens thuribulum aureum in

manu sua: & data sunt ei incen-

sa multa: * Et ascendit fumus aro-

matum de manu Angeli in conspē-

Pars Hyemalis.

tu Domini, alleluia. • In conspē-

ctu Angelorum psallam tibi: ado-

rabō ad templum sanctum tuum,

& confitebor nomini tuo Domine.

Et ascendit. **Benedictio.** Spiritus

sancti gratia.

• **Lectio iij.**

Et audivi vocem sermonum ejus:

& audiens jacebam consternatus

super faciem meam, & vultus

meus haerebat terrae. Et ecce manus

tēgit me, & erexit me super genua

mea, & super articulos manuum mea-

rum. Et dixit ad me: Daniel vir desi-

deriorum, intellige verba, quae ego

loquor ad te, & sta in gradu tuo:

non enim sum missus ad te. Cum-

que dixisset mihi sermonem istum,

steri tremens. Et ait ad me: Noli me-

tuere Daniel: quia ex die primo, quo

posuisti cor tuum ad intelligendum

ut te affligeres in conspectu Dei tui,

exaudita sunt verba tua: & ego veni

propter sermones tuos. Princeps au-

tem regni Persarum restitit mihi vi-

ginti & uno diebus: & ecce Michael

unus de principibus primis venit in

adjuvatorium meum, & ego remansi

ubi juxta regem Persarum. Veni au-

tem ut docerem te quae ventura sunt

populo tuo in novissimis diebus, quon-

iam adhuc visio in dies.

• **In conspectu Angelorum psallam**

tibi, & adorabo ad templum sanctum

tuum, * Et confitebor nomini tuo

Domine, alleluia. • Super miseri-

cordia tua, & veritate tua: quoniam

magnificasti super nos nomen sanc-

tum tuum. Et. **Gloria Patri. Et.**

In secundo Nocturno, Ant.

Michaël Archangēle, veni in adju-

vatorium populo Dei, alleluia.

• **Psalmus 18.**

Caeli enarrant gloriam Dei, *

& opera manuum ejus annun-

tiant firmamentum.

• Dies diē eructat verbum, * & nox

nocti indicat scientiam.

Ccc

Non